



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

11. Novembris. Eligentem convenit se examinare, an affectio, quam erga rem aliquam habet, ex solius Dei amore, & intuitu proficiscatur. S. Ignat. in regul. elect.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

est perdere ; alter fit ditior, tu non fis pauperior. Nihil tu das, multum ille accipit. Hoc est viso thesauro fieri opulentum.

Basiliscus etiam visu venena diffundit : tu visu sparge doctrinam ; silentio verborum sitatem, levitatem gravitate, modestiâ dissolutionem, mansuetudine furorem compesce.

II. Novembris.

Eligentem convenit se examinare, an affectio, quam erga rem aliquam habet, ex solius Dei amore, & intuitu proficiatur. S. Ignat, in regul. elect.

O Mne in eo punctum vertitur, ut rectè, & recta, eligas. Error iste nunquam solus est ; trahit post se innumeros ; nunc attende fontem, & scaturiginem errorum ; serò deinde voles obturare.

Difficilis res electio est, multa consideranda, prævidenda plura, plurima sunt timenda, in iis potissimum, ubi electio facta tollit libertatem, ut mutari, quæ occurrerent, difficultas, nisi morte, non possit.

Malus electionis arbiter affectus est, si hic cum amore proprio vocetur in consilium, cæcus cæcum ducet, & ambo in fo-

veam

veam cadent, ex qua nec pro libitu surges-
re, nec facili consilio redire poterunt.

Nihil suâ basi stat firmiùs; rationes, qui-
bus electio tua nititur, solidæ sint, ac æter-
næ, his tutò insistitur, reliquæ levi vento
dissipantur. Dei voluntas amissis tua sit,
quâ fundamentum jacias, & molem ædis
ficii incipias.

12. Novembris.

*Proprium est Dei, & Angeli cujusque boni
veram infundere spiritualem animæ lati-
tiam.* S. Ignat. in reg. discret.

IN turbido piscari amat dæmon, tene-
bras is offundit menti, voluntati torpor-
em, humoribus melancholiam inducit, ut
sic afflictum ad quærenda ea solatia impel-
lat, quæ Deo displicent, spiritum extin-
guunt.

Perturbatus animus non est aptus ad
exequendum munus suum, nec ullus facis-
lius errat, quàm in tenebris. Cùm tristitia
mentem obnubilaverit, cave aliquid decer-
nas, expectanda serenitas, ut res plenius di-
scernas.

Quies animi, & malacia mentis, habi-
tantis in anima divinæ gratiæ index, & qui-
dam